



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Minoribus etiam Präsidibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

sent. Sæpius fuere per Aquilonares Prouincias ob-
 eundæ viæ longissimæ per imbres, per gelu, per
 hominum iniquissimorum iniurias, nunquam
 tamen tergiuersatum reperi, nunquam modicu-
 iuspiam moram interposuisse. Quantæ obedi-
 entiæ fuit ille dolor, quod Ferdinando Imperato-
 re, vti supra demonstratum est, postulante, vt è
 Polonia in certam diem reuerteretur, non subiis-
 set sibi respondere, diserteque explicare obeditu-
 rum, nisi Pontificis mandatis teneretur? Quantæ
 conatus ille contra Magdeburgenses Centurias
 scribendi? cùm se nunquam putaret obedientiā
 satis implere, nisi magis quam pro virili, ac prope
 supra vires laborem contenderet? Vsque eo dista-
 bat ab eorum ignauia, qui iussa maximarum po-
 testatum ad desidiæ, licentiæq; nutrimenta ver-
 tunt. Habebat hoc etiam miri Canisij obedien-
 tia, quod per maiorum potestatum imperia ne-
 quaquam absolutum se, exemptumque putabat
 rectione, ac iussis Inferiorum. Norat enim, quæ à
 Deo sunt, ordinata esse. Itaq; non modò nunquā
 vt Præpositi Generalis eluderet nutus, Pōtificum
 obtendit imperia: vel Generalis mentem Prouin-
 cialis opposuit studio: sed potius illorū præcepta

*Pontificibus summis.
Minoribus etiā Praesidibus.*

u

ex



ex horum interpretatione capiens, efficiebat co-
natū, vt omnia pariter quam cumulatissime exe-
queretur.

*In gubernatio-
ne Provincie.*

In regenda Provincia nihil habebat molesti-
us, quām si qua in re, vel per moram literarum,
vel subitę deliberationis necessitate cogeretur in-
terdum Præpositi carere sententia, & sequi suam:
quanquam ne tum quidem suam ferē sequeba-
tur. Decretos sibi à consiliis, grauioresq; Patrum
alios sedulò consulens, viam inueniebat exercen-
dæ vbiq; obedientiæ; vt in his quoque, quæ mā-
daret, administer magis, quam autor esset, nec
prius iubentis, quām parentis obiret partes. Idcir-
co etiam optabat, & postulabat assidue Visitato-
res mitti, & missos excipiebat, vt Angelos Dei: nē-
pēt ageret nihil, quod non oculi Præsidum vel
præirent, atq; dirigerent; vel sequerentur, atque
corrigerent. Fuit in Provincialatu aliquis Patrum
cooptandus in partem laboris ad scribendas lite-
ras: noluit suæ lectionis id esse: sed integrum rem
ad consiliarios reiecit. Quod & ad fugam exercē-
di Imperij pertinet: & nequid in legendo indul-
geret priuato studio, si quod erat, vel potius, cum
perinde aduersus omnes animatus esset, ne anci-
piti

